A. M. D. G.

CONSUETUDINARIUM

Provinciæ Canadensis

SOCIETATIS JESU



MARIANOPOLI
Ex Typographia SS. Cord. Jesu
1911

34194

Codicem Consuetudinum Provinciæ Canadensis probamus, et commendamus ut in illa Provincia observentur.

Romae, die festo SS. Trinitatis, 11 Junii 1911.

Franciscus Xav. Wernz
Præp. Gen. Soc. Jesu.

INDEX CAPITUM

Pag.

Caput I—De iis quæ ad Templum et Sacellum domesticum pertinent... 5
Caput II—De Sacra Communione..... 12
Caput III—De Prima Votorum Emissione..... 14
Caput IV—De Votorum Renovatione..... 16
Caput V—De Susceptione Gradus..... 19
Caput VI—De Ordine Domestico..... 25
Caput VII.—De Vestitu Nostrorum..... 31
Caput VIII—De Refectione Nostrorum..... 34
Caput IX—De Disciplina Domestica Quibusdam Temporibus..... 48
Caput X—De Itinerantibus Itinerumque Expensis..... 51
Caput XI—De Cura Infirmorum et de Exsequiis Defunctorum..... 56

APPENDICES

Gallicæ

I—Proclamationes Variæ..... 61
II—Formulæ quædam adhibendæ in susceptione Gradus..... 68
III—Formulæ accusationum..... 72
IV—Loca Veteris Testamenti omittenda in lectione ad mensam..... 74
V—Formula Actus Reparationis SS. Cordis Jesu..... 76
Formulæ Consecrationis Societatis SS. Cordi Jesu..... 77

Anglicæ

I—Proclamationes Variæ..... 81
II—Formulæ quædam adhibendæ in susceptione Gradus..... 87
III—Formulæ accusationum..... 88
IV—Loca Veteris Testamentis omittenda in lectione ad mensam..... 89
V—Formula Actus Reparationis SS. Cordi Jesu..... 90
Formula Consecrationis Societatis SS. Cordi Jesu..... 91

Index alphabeticus rerum..... 95

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/consuetudinarium0000vari

CAPUT I

DE IIS QUÆ AD TEMPLUM ET SACELLUM DOMESTICUM PERTINENT

1. *Missa communis*, cui omnes tam Coadjutores quam Scholastici interesse debent, nisi cui forte aliud tempus assignatum sit, celebratur in Sacello domestico, finita oratione, et ordinarie a Superiore vel Ministro.

Ad hanc tamen Missam, certis diebus, ut puta in Nativitate Domini, in Hebdomada Sancta, in Renovatione Votorum, aliisque similibus, eligitur a Superiore hora commodior.

2. *Diebus* vero *Dominicis et Festis de præcepto*, Missa communis celebratur in templo; in qua omnes Scholastici et Coadjutores accedunt ad Sacram Mensam. Quod tamen locum non habet in Domo Probationis et ubi Nostri Philosophiæ vel Theologiæ dant operam.

3. *Diebus Communionis* ex regula, et quoties Missa communis celebratur coram SS. Sacramento, vel si sub finem illius exponi debet, item diebus primitiarum Sacerdotis, promotionis ad gradum et, in Scholasticatu, Missæ de Spiritu Sancto pro instauratione studiorum, duo e Nostris cum superpelliceo Missæ deserviunt. Aliis vero diebus unus dumtaxat Missæ communi inservit, indutus superpelliceo; quo Nostri,

etiam FF. Coadjutores, semper utantur oportet, quando Sacris ministrant.

4. Inter Missam communem quotidianam, sicut et inter omnes Missas tam Nostrorum quam aliorum simplicium sacerdotum, non accenduntur regulariter nisi *duo cerei*, etiam in altari majori. Diebus communionis, in primitiis sacerdotum, promotione ad gradum, votorum nuncupatione prima, et in Missis exsequialibus Nostrorum, *sex ardent cerei*. Idem numerus adhiberi potest in altari minori alicujus Sancti, in ipso ejus die festo. Præterea rubrica illa Missalis de cereo accendendo ad elevationem Sacramenti, servatur in iis diœcesibus in quibus apud sæcularem clerum etiamnum est in usu.

5. *In Missis* et *Vesperis cum cantu*, cerei sex in summo altari accenduntur. Idem numerus adhibetur in privata expositione SS. Sacramenti cum sacra pyxide. In solemni autem expositione, quæ fit cum ostensorio, saltem duodecim ardere debent.

6. *Vespertina Benedictio SS. Sacramenti* habetur omnibus Dominicis per annum, et in Festis quæ sequuntur, nempe:

Nativitatis Domini	SS. Cordis Jesu	Assumptionis B. V. M.
Circumcisionis	Immac. Concept. B.V.M.	S. Joseph
Epiphaniæ	Nativitatis B. V. M.	Omnium Sanctorum
Ascensionis	Purificationis B. V. M.	S. P. N. Ignatii
Corporis Christi, et per octavam	Annuntiationis B. V. M.	Sanctorum S. J.

Insuper feriis II et III Paschæ et Pentecostes, unaquaque feria VI quæ prima in mense occurrit, ultimo anni die (in qua cantantur «Miserere» et «Te Deum»), et quoties expo-

situm fuit Venerabile Sacramentum sive per totam diem, sive per Missas tantum.

In Benedictione quæ habetur prima cujusque mensis feria VI, recitatur *Actus Reparationis;* in die autem festo Sacratissimi Cordis Jesu iteratur solemnis *Consecratio* universæ Societatis huic SS. Cordi, secundum decr. 46 C. G. XXIII (Cf. Append. V).

7. *Benedictioni cereorum, cinerum et ramorum,* propriis diebus, intersunt omnes. Patres et Scholastici superpelliceo induuntur, si fiat in ecclesia; si autem in Sacello domestico, fit ante Missam communem et tunc soli Sacerdotes superpelliceum induunt.

In festo Purificationis, in Dominica Palmarum et in celebratione Festi Corporis Christi processioni, ubi fit intra ecclesiam, Nostri intersunt.

8. *Deprecatio* et Expositio *Quadraginta Horarum* habetur in ecclesiis nostris et sacellis publicis tempore ab Episcopis assignato; in quibus Constitutio Clementina simpliciter observatur. Intersunt Nostri tum Litaniis, tum processioni, prima et ultima die; per totum vero tempus adorantes alii aliis succedunt juxta ordinem a P. Ministro vel Præfecto ecclesiæ descriptum et in loco patenti affixum.

9. *Feria IV, V et VI Majoris Hebdomadæ* habeatur Officium Tenebrarum a Scholasticis omnibus convenientibus in Templum. In Domo Probationis hoc fit in Sacello domestico.

10. *Feria V in Cœna Domini,* omnes Nostri, etiam Sacerdotes, communicant ad Sacrum solemne quod celebratur in Ecclesia aut in Sacello; iis exceptis quibus a Superiore,

justis de causis, datur licentia communicandi in Missa privata, quæ summo mane dicitur.

11. *Feria V et VI Majoris Hebdomadæ* omnia solemni ritu fiunt. Iisdem in feriis V et VI, fieri solet processio juxta ritum in Missali Romano præscriptum cum SS. Sacramentum defertur: huic omnes Nostri intersunt tam Sacerdotes quam Scholastici. *Sabbato Sancto* fit Sacrum solemne in Ecclesia. Litaniis et Missæ intersunt omnes Nostri.

12. In *Nocte Natalis Domini*, omnes qui sacerdotes non sunt solito modo ab excitatore, hora sesquiundecima, vocantur, nisi legitime fuerint dispensati, et audiunt Missam quæ media nocte celebratur, inter quam etiam sacram communionem accipiunt. Secundæ etiam Missæ, quæ continenter post primam ab eodem sacerdote celebratur intersunt. Post hanc Missam, ipsis licet se ad triclinium conferre, ad leviusculum jentaculum sumendum. Matutina vero oratione perfecta, tertiæ Missæ de more adsistunt.

13. In *die Commemorationis Omnium Defunctorum*, si per sociorum numerum liceat et commode fieri possit, recitatur a Nostris Officium Defunctorum; quo absoluto, fit Sacrum de more. In Ecclesiis publicis potest cantari Officium Defunctorum in die Omnium Sanctorum vespere.

14. In *nostris templis et sacellis publicis* servantur consuetudines locorum et diœcesana statuta, nisi quid obstet quod a Provinciali probatum sit. Cantatur Missa singulis dominicis et festis quæ cum concursu fidelium celebrantur, adhibitis etiam diacono et subdiacono. In ecclesiis parochialibus canuntur etiam Vesperæ, ad morem regionis, cum Benedic-

tione SS. Sacramenti; in cœteris vero cantari possunt, si Superiori placuerit.

15. Pia exercitia per *mensem Maium* in honorem Virginis Deiparæ, per *mensem Martium* in honorem divi Joseph, et per *mensem Junium* in honorem SS. Cordis Jesu, in templis et sacellis nostris quotidie haberi possunt et Benedictione SS. Sacramenti concludi. Quæ quidem benedictio solemnius in ipsorum inauguratione, pridie calendas mensis, et in postrema conclusione, ultimo mensis die, institui consuevit. *Mense* autem *Octobri* observantur præscripta SS. Leonis XIII circa recitationem Rosarii.

16. Singulis diebus Sabbati, in Collegiis, discipuli congregari solent in sacello ad *cantum Litaniarum B. V. M.*

17. *Sodalitates B. V. M.*, sicuti et *Congregatio Bonæ Mortis*, quæ Societas fere a sua origine peculiari cura amplexa est, in nostris Collegiis et Templis singulari industria fovendæ sunt. Nullæ tamen creari possunt absque prævio consensu Provincialis. Diligenter curandum est ut in omnibus Sodalitatibus Marianis serventur Regulæ ab A. R. P. Generali approbatæ.

18. Devotio *sex Dominicarum in honorem S. Aloysii* fovetur. Durante tempore quo celebratur, splendidius solito ornatur altare S. Aloysii. Preces vero et alia exercitia habentur pro opportunitate loci.

19. *Festa quæ solemnissime celebrantur* in nostris Templis sunt: S. Patris N. Ignatii ubique, S. Aloysii in Collegiis et S. Stanislai in Domo Probationis. In Ecclesiis publicis solemnitas, ut plurimum, transfertur in Dominicam sequentem.

Festa quoque primæ classis sunt: Sancti qui patronus est principalis Templi, Nativitatis Domini, Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Patrocinii S. Joseph, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, SS. Cordis Jesu, Assumptionis B. V. M., Omnium Sanctorum, Immaculatæ Conceptionis.

20. *Post instaurationem studiorum* in Collegiis, Missa cantatur solemnissime, nisi quid obstet, et sub ea fit concio.

21. Dominicis diebus et Festis supradictis, *concio ad populum* in Templis nostris haberi solet.

22. Antiqua consuetudo Societatis in tradenda *doctrina Christiana* hæc est: Initio facto a signo crucis, primum recoluntur quædam ex iis quæ scitu maxime necessaria sunt omnibus, modo hæc, modo illa; dein summatim repetuntur explicata in præcedenti catechesi, et tandem nova lectio explicatur. Catechistæ, quoad materiam et modum dicendi, meminerint se catechistas esse, non concionatores.

23. Dominicis diebus, nisi quid obstet, ante Laudes vespertinas fit ab aliquo Patre ad populum in Templo *catechismus* qui dicitur *major*, in quo doctrina Christiana latius et profundius explicatur; et, sicubi id expedire videatur, loco catechismi majoris aliquoties fieri potest *explicatio Scripturæ Sacræ*.

24. Quatuor habentur *Novendialia* pro Nostris in domestico Sacello: 1^{um} ante Festum Immac. Conceptionis B. V. M.; 2^{um} in honorem S. P. N. Ignatii et S. Francisci Xaverii ante 12 Martii, diem canonizationis; 3^{um} ante Festum SS. Cordis Jesu; 4^{um} in honorem S. Spiritus ante Dominicam Pente-

costes. In Novitiatu additur 5^{um} in honorem S. Joseph, et 6^{um} in honorem S. Stanislai. In Scholasticatu additur novena in honorem S. Aloysii; in aliis Collegiis et Domibus, pro locorum consuetudine. Fit hora quæ Superiori videtur magis idonea.

CAPUT II

DE SACRA COMMUNIONE

25. *Dies S. Communionis* præscripti intra hebdomadam (una cum Festis et jejuniis) indicuntur per lectorem ad prandium die Sabbati et in schedula a P. Ministro confecta, quæ deinde affigitur in loco patenti ut legatur ab iis qui forte non audierint.

26. *Communiones* ex regula hoc indice continentur:

Omnes dies Dominici	Purificationis B. V. M.	S. Joan. Nepomuceni
Dies Natalis D. N. J. C.	Annuntiationis B. V. M.	Dies 12 Martii, anniv. canonizationis S. P. N. Ignatii et S. Fr. Xav.
Circumcisionis	Septem Dolorum	
Epiphaniæ	Assumptionis B. V. M.	
Ascensionis	Festum Omnium SS.	Dies 7 Augusti, pro restitutione S. J.
Corporis Christi	S. Joseph	
SS. Cordis Jesu	S. Joan. Baptistæ	Dies 27 Septembris, pro confirmatione S. J.
Feria III Paschatis	SS. Apostolorum	
Feria III Pentecostes	S. Michaelis	Feria IV Cinerum
Festum Immac. Conc. B. V. M.	S. Laurentii	Feria V in Cœna Dni
	S. P. N. Ignatii	Dies Commem. Def. S.J.
Nativitatis B. V. M.	SS. et BB. Soc. Jesu	

Prima feria VI cujusvis mensis, in honorem SS. Cordis

27. *Ex devotione* nostris commendatur *Communio* quotidiana. Ad Communionem frequentem et quotidianam, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissimam,

Parochi, Confessarii, Concionatores et Patres spirituales Christianum populum — idque statim post primam communionem — et præsertim Nostros omnes crebris admonitionibus multoque studio cohortentur, juxta Decretum S. Cong. Concilii die 17 Dec. 1905 a Summo Pontifice approbatum.

28. *Scholastici omnes*, etiam diebus ferialibus, *intra Missam ad Sacram Communionem accedant*, gratiarum actione statim post Communionem incipienda et in quadrante finienda.

Fratres Coadjutores item intra Missam Sacram Communionem recipiant *diebus Dominicis et festis*, iis tamen exceptis qui necessarii sunt ad officia Domestica statim post Missam; quibus licet ante Missam recipere. *Diebus ferialibus*, post tertium quadrantem meditationis, decem minuta ponant in præparatione, deinde quinque minutis ante Missam, Sacerdos ipsos communicet.

29. *Diebus Dominicis*, Scholastici omnes, post jentaculum, tempus usque ad horam sesquioctavam privatim impendunt piæ lectioni, considerationi, aliisve rebus spiritualibus; nec eo tempore vocantur ad januam aut cum externis agunt absque speciali Superioris facultate.

CAPUT III

DE PRIMA VOTORUM EMISSIONE

30. Qui, absoluto biennio, *prima vota emissurus* est, per octiduum sacris Exercitiis *se prius recolligit;* aut saltem per tres dies, si intra tres ultimos menses Exercitia annua peregerit.

31. *Pridie emissionis*, in prandio leguntur defectus emissuri vota ab ipso conscripti, et omnium precibus commendatur.

32. Hæc votorum emissio, uti et renovatio, semper *fit in Sacello domestico*, exclusis externis, etiam consanguineis.

33. Vovens defert secum in Sacellum exemplar formulæ votorum manuscriptum cum indicatione loci, diei, mensis et anni. Post Communionem Sacerdotis, accedit ad gradus altaris et in infimo genuflectit. Ubi celebrans, pronuntiata absolutione generali, ad SS. Sacramentum se convertit, vovens, a suo scripto exemplari formulam legit. Formula recitata, vovens, si Sacerdos non est, S. Communionem de more accipit, et ab altari recedit. Si plures eadem die simplicia vota emittant, accedunt omnes simul et genuflectunt in infimo gradu altaris, formulam successive legunt, nec datur S. Communio antequam omnes vota pronuntiaverint. Sacer-

dotes non faciunt Sacrum nisi post emissa vota. Si Sacerdos Novitius vota sua nuncupat in Sacro in quo nemo communicat, non est depromendum SS. Sacramentum.

34. Non est omittendum quod regula 11 Rectoris habetur de *scribendis in libro* vota emittentium et celebrantis *nominibus;* sicuti nec quod regula 57 Magistri Novitiorum de subscriptione ipsius voventis post Novitiatum habetur.

35. Item *formulam legitimam subscribunt*, quo profitentur se nihil mercedis a Societate repetituros, si forte ipsam deserant. Quæ etiam formula a Coadjutoribus obsignatur cum secundam probationem aggrediuntur.

CAPUT IV

DE VOTORUM RENOVATIONE

36. Renovatio votorum fieri solet *circa Festum Imm. Conceptionis B. V. M., et aliqua die mensis Maii* (v. g. in Festo Auxil. Christ., vel Ascensionis, aut Pentecostes), quam semper præcedit triduana recollectio.

37. Duabus hebdomadis ante renovationem, assignantur duo aut plures pro personarum numero *Confessarii extraordinarii*, quibus æque ac ordinariis datur facultas absolvendi a reservatis. Omnibus vero, etiam iis qui vota non renovant, licet ad eos accedere quoties libuerit per totum illud tempus, usque ad renovationis diem inclusive. Eadem facultas absolvendi a reservatis communicatur ipso facto Confessariis ordinariis in favorem omnium, quo tempore peragunt Exercitia Spiritualia annua.

38. Aliquibus diebus ante triduum recollectionis, instituitur a Superiore domus *consultatio super defectus* omnium qui vota renovaturi sunt, ut postea de illis moneantur.

39. *Pridie tridui*, in prandio legitur lingua vernacula epistola P. V. Carrafæ *De religiose impendendo triduo recollectionis;* tum monentur omnes renovaturi de hora et loco qui-

bus habenda est meditatio pomeridiana (quæ fit coram exposito Venerabili Sacramento et cum Benedictione in fine), jubenturque defectuum suorum et errorum contra regulas schedulam rite conscriptam postero die P. Ministro tradere.

40. *Materiæ* occasione Renovationis *legendæ*, præter consuetam Scripturam Sacram, hæ fere sunt:

1° *Pro utraque Renovatione* leguntur, latino idiomate: Regg. Sacerd., Regg. Schol.; idiomate vernaculo: Regg. modest., Regg. Coadj. temp., Catal. P. Natalis de recreat., Monita generalia, Epistola P. J. P. Olivæ *De Secreto super manif. conscientiæ*.

2° *Pro hiemali tantum Renovatione*, leguntur latine: Censuræ et Præcepta, iis omissis quæ cap. I continentur; vernacule: Decreta selecta, Epistola P. M. Vitelleschi de Ordinationibus Superiorum.

3° Denique his subnecti possunt selectæ quædam epistolæ Generalium, vel alia quæ pietatem alant et fervorem exstimulent.

41. *Pridie renovationis* fit abstinentia hebdomadaria; tempore prandii publica reprehensio defectuum renovantium, necnon defectuum generalium quorum emendatio desideratur. Quod si renovatio votorum habenda sit feria II vel postridie Festivitatis alicujus, abstinentia et reprehensio defectuum fiunt secunda die recollectionis.

42. *Die renovationis* hora assignata celebratur Missa de die, non in Templo sed in Sacello domestico vel Oratorio Sodalium bene ornato, exclusis omnibus externis. Missa dicitur a Superiore vel a P. Provinciali, si adsit. *Renovatio autem*

fit hoc modo: Sacerdos celebrans, post Communionem suam, facta a ministris confessione, Eucharistiæ pyxidem, si adsit, aperit, vel certe particulas a se pro numero communicantium consecratas colligit et patenæ superponit, et post genuflexionem, versus ad adstantes, pronuntiat absolutionem generalem, tum conversus ad SS. Sacramentum, non genuflexus sed stans aliquantulum ad cornu evangelii, capite paullulum inclinato, audit vota renovantes. Si forsan ipse celebrans vota renovaturus sit, observantur omnia prædicta, sed ipse primus conversus ad altare recitat votorum formulam. Post eum genibus flexis legunt formulam secundum ordinem admissionis in Societatem, latine Sacerdotes et Scholastici, Coadjutores vero vernacule, expresso initio formulæ proprio nomine et cognomine, non autem in fine die vel mense neque loco. Quibus absolutis, celebrans, accepto post genuflexionem SS. Sacramento, ad ipsos convertitur et, dicto de more *Ecce Agnus Dei* et *Domine non sum dignus*, singulis qui Sacerdotes non sunt SS. Eucharistiam ministrat. Sacerdotes non Missam celebrant nisi facta renovatione. Possunt tamen, si urgeat aliqua causa, statim post lectam renovationis formulam egredi.

43. Qui *communi* votorum *renovationi interesse non potuit*, renovat postea coram Superiore aut alio designato. In *parvis Residentiis* fit renovatio eo modo qui magis commodus Superiori videatur.

44. *Non eximitur* a renovatione et recollectione qui paulo post graduandus est, nec qui paulo ante vota nuncupavit.

CAPUT V

DE SUSCEPTIONE GRADUS

45. *Ante susceptionem gradus* oportet ut promovendus:

A. Relinquat bona sua, nisi prius id præstiterit (Exam. Gen. c. 4, n. 29; Ord. General., c. 1, n. 10.). Bonis suis temporalibus renuntians *scribat renuntiationem* exemplari duplici, in charta formæ Romanæ, quorum unum in archivo Provinciæ remaneat, alterum a Provinciali Romam mittatur. Et duplex exemplar manu propria subscribat, sed non nisi coram testibus qui et ipsi subscribunt.

B. Superiori Domus vel Provinciali *rationem conscientiæ* reddat (Exam. Gen. c. 4, n. 38).

C. Pridie susceptionis gradus, *petit eleemosynam* more pauperum, mendicando apud amicos et bene notos a Superiore designatos, cavendo semper ne se molestum cuiquam reddat, imo nec quidpiam eleemosynæ ab unoquoque accipiens nisi frustulum panis aut paucos asses aut alia id genus. Poterit Superior mendicationem præscriptam in quamdam spiritualem eleemosynam commutare.

D. Exercitia Spiritualia spatio unius hebdomadæ peragat (Exam. Gen. c. 4, n. 41). Qui uno alterove mense ante

collationem gradus Exercitiis Spiritualibus vacavit, non opus est ut eadem repetat, sed satis est ut per duos aut tres dies se colligat.

E. Litteras Apostolicas et *Constitutiones* legat atque attente perpendat (Exam. Gen. c. 4, n. 41). Si promovendus habeat sufficientem cognitionem regularum, Constitutionum et Bullarum Societatis, non opus est ut eas legat; at, si non habet, tenetur legere.

F. Confessionem generalem faciat, ab ultima inchoando (Exam. Gen. c. 4, n. 41).

G. Votorum formulam tempestive ex Instituto eruat atque *conscribat* trino exemplari. (Formulæ omnes reperiuntur in Appendice II.) Formulæ quorumcumque votorum ab iis qui publice emittunt vota scribendæ sunt in charta formæ Romanæ (10x8 pouces, inches), inductis supra, infra et ab utroque latere in moderato spatio lineis simplicibus. Pro quavis autem formula integrum folium adhibendum: ita tamen ut, si agitur de emittente Professionem quatuor vel trium votorum, in prima folii pagina Professionis formula, at vota simplicia non in secunda sed in tertia ejusdem folii pagina describantur; si vero agitur de Coadjutoribus Spiritualibus, in prima tantum folii pagina votorum formula scribenda est. Quælibet insuper formula habeat initio nomen et cognomen vota excipientis, una cum titulo officii, ex. gr.: *et tibi, Reverendo Patri N. N. Provinciali vel Rectori, vice*, etc. In quacumque formula non modo scribi, sed clare etiam legi debet ab emittente seu Professionem seu vota nomen loci et tempus ad majorem solemnitatem

et firmitatem istius contractus; quod etiam exprimendum est in votis simplicibus Professorum, ut patet ex formula. Quod si Coadjutoris Temporalis *nomen aliena manu scriptum* fuerit, ipse saltem cruce subscriptionem postea firmet.

H. Aliquot dies ante votorum emissionem promovendus *formulam consideret* (Const., Part. V, c. 3, n. 2).

I. In pervigilio admissionis ad gradum, reprehensionem publicam (vulgo *la liste de ses fautes, chapter of defects*) et alia humilitatis atque mortificationis exercitia subit; et commendatur precibus Nostrorum.

N. B. Usus ubique a Nostris receptus est, ut Professionem seu vota publica emissuris *nova vestis* dispensetur, nisi recenter novam acceperint.

46. *In susceptione gradus.*

A. Observanda imprimis sunt quæ præscribuntur in Constitutionibus cum Decl., pro Professis quidem, part. V, c. 3; pro Coadjutoribus tam Spiritualibus quam Temporalibus, part. V, c. 4; Pro Coadjutoribus Temporalibus versio voti in linguam vernaculam assumenda est quæ inferius adscribitur in Appendice II.

B. Constitutiones partis V circa Professiones emittendas servandæ sunt, nec cæremoniæ addendæ (Can. 20 Congreg. I).

C. Ex commissione Provincialis quicunque ex Societate *excipere potest Professionem.* Non est necesse ut gradus Professorum vel Coadjutorum detur a Superiore qui sit Professus aut Coadjutor formatus. Rector a Provinciali designatus si forte impeditus fuerit, alium sibi substituere potest,

ad excipiendam Professionem, modo ille alius sit unus ex Nostris et non externus.

D. In votorum nuncupatione a pluribus facienda, sequens ordo servetur: Primo Professi 4 votorum, dein Professi 3 votorum, tum Coadjutores Spirituales, ac denique Coadjutores Temporales vota nuncupant; antiquior in religione in suo quisque ordine. Æqualitas in religione sumenda est ab ingressu in religionem et non a studiis aut ætate. Si inter duos simul vota facturos unus ingressus est prior Societatem, sed alter (ut evenire potest) prius emisit vota simplicia, habenda est ratio religionis ingressus, non autem emissionis votorum simplicium. Si duo facturi Professionem sint eadem die religionem ingressi, habenda est ratio ætatis; si et in hac sint pares, tunc temporis in Sacerdotio. Si vota solemnia vel publica emissurus sit Superior una cum subdito, si subditus sit antiquior in Societate, prius emittat subditus.

E. Quoad ritum vota emittendi, hæc præstari solent: Promotio fit in publica Missæ celebratione coram Nostris et externis. Sub Communione celebrantis, accedit qui prior vota emissurus est, et in gradu superiore altaris genuflectit. Tum, absoluta confessione generali et verbis omnibus quæ ante Communionem dici solent prolatis, coram celebrante cum Sacra Hostia ad eum converso, alta voce vota sua scripta legit. Quibus lectis, plicatum folium dextera sua manu inserit inter digitos lævæ manus qua celebrans sacram patenam sustinet. Tum qui celebranti sinistrorsum (i. e. in cornu Epistolæ) assistit, læva educens folium, quod super altare deponit, dextera porrigit stolam ei qui vota nuncupavit.

Hic vero, sumpto Eucharistiæ SS. Sacramento, si plures vota sint emissuri, locum cedit ad quem jus immediate vovendi pertinet, qui et ipse eundem repetit ritum; ac ita porro unus post alium usquedum promovendorum numerus compleatur.

F. Sacro peracto, si celebrans admittere debet *vota simplicia* alicujus *Professi*, ea non ad altare, sed in alio loco, qui plerumque solet esse sacristia, præsentibus solis domesticis, excipiat postquam sacerdotales vestes exuerit. Votis a Professo genuflexo lectis, coram celebrante sedente, prius ab ipso admittente, mox ab adstantibus Nostris fit per ordinem cum iis omnibus qui Professionem aut vota emiserunt gratulationis amplexus de more Societatis.

G. Si forte promovendus aliquis citra culpam, vel quia litteræ admissionis ad gradum serius afferantur in Provinciam, vel forte propter oblivionem aut incuriam aliorum, non potuerit designato die promoveri, potest cum facultate Provincialis primo quovis opportuno tempore, ac alio quocunque ab ipso statuto die, ad gradum admitti (Cong. XII, decr. 9; Cong. XIII, decr. 20).

47. *Post susceptionem gradus.*

A. Scribendum ejus *nomen* qui vota emisit et illius in cujus manibus emisit, adnotato die, mense et anno, in libro qui apud Superiorem localem in hunc usum servari debet (Const., part. V, c. 3, n. 4; Reg. Præp. 12: Rect. 11.).

Hic deinceps in mensa apte exornata, floribusque conspersa, immediate post Superiorem Collegii vel Domus sedet; eique indiscriminate succedunt alii Professi et Coadjutores

Spirituales, si qui una cum ipso vota emiserunt. Coadjutores autem Temporales certum habent locum ubi quotidie in triclinio sedere consuescunt, simili ornatu dispositum.

B. Exemplar votorum, quæ sive a Professis sive a Coadjutoribus formatis emissa fuerunt, accurate et nitide in charta Romana exaratum atque emittentis nomine subscriptum, juxta ea quæ superius habentur (n. 45, G, supra), in Collegio vel Domo, ubi vota nuncupata sunt, asservetur. Huic autem duo similia apographa quamprimum Provinciali mittantur, quorum alterum Generali per Provincialem tradendum est, alterum in archivo Provinciæ servandum (Reg. Prov. 73).

C. Tam Professi quatuor vel trium votorum post editam Professionem, quam Coadjutores Spirituales formati post emissa vota, intra annum per quadraginta dies continuos vel interpolatos, *doctrinam Christianam* pueros atque rudes personas *docere tenentur* (Cong. II, can. 20; Reg. Prov. 71).

N. B. Formulæ quædam adhibendæ in susceptione gradus habentur in Appendice II.

CAPUT VI

DE ORDINE DOMESTICO

48. Quotidie *surgitur* hora 5 matutina et fit visitatio *SS. Sacramenti.*

49. Sequitur *meditatio* ab hora 5.30 ad 6.30; qua expleta, fit *Sacrum communitatis*, cui intersunt omnes non Sacerdotes, nisi qui justis causis excipiantur a Superioribus, et aliis horis huic muneri satisfaciant. Coadjutores, ex laudabili usu, omnes simul meditationem et examina peragunt in eodem loco.

50. Sacerdotibus *Missæ hora et locus* assignatur, tabula ad hoc exposita; vel annuntiatur ad mensam.

51. Quadrante ante prandium pulsatur pro *examine matutino.* Ubi longius a domo Coadjutores laboribus in agro, etc., occupantur, signum campanæ datur quadrante ante examen matitutinum, ut se domum recipiant. Qui in culina et refectorio, tempore examinis aliorum, adesse debent, examen faciunt hora a Superiore assignata.

52. *Prandium et cœna* inchoantur tempore a Provinciali, auditis Superiore locali et consultoribus tum Provinciæ tum Domus, pro singulis Domibus constituto. Mensa autem absoluta, mos est visitandi SS. Sacramentum tam a prandio

quam a cœna; quæ visitationes non ultra tria minuta protrahuntur. Prior surgit Superior. Post cœnulam vero diebus abstinentiæ vel jejunii, extra Domum Probationis, sicut de refectione, ita etiam de visitatione finienda, consulit quisque sibi.

53. Sequitur *recreatio* per horam. Suus seorsim, ubi numerus sufficit, Sacerdotibus, Scholasticis et Coadjutoribus locus attribuitur, nec priusquam illuc ventum fuerit fas est loqui. Qui *ad prandium* interfuerunt secundæ mensæ, vel in culina ministrarunt, secundæ etiam recreationi interesse possunt, quæ per semihoram producitur; quæ tamen vespere non habetur. *In festis primæ classis* recreatio communis post prandium semihora protrahi potest et finis indicitur per campanam.

54. Vespere, hora 9, recitantur *Litaniæ SS.*, in quibus duplicantur nomina SS. in vigilia et in ipso die festi; et, uno quadrante interjecto ad puncta meditationis prævidenda, sequitur examen conscientiæ. *Decumbitur* hora 10. In Collegiis vero, quando Nostri vespere intersunt distributioni graduum aut præmiorum aliisque exercitiis academicis aut literariis, anticipantur Litaniæ, puncta meditationis et examen, hora a Superiore statuta.

55. Si qua autem *immutatio in hoc ordine* facienda sit, Nostri præmoneri solent in triclinio. Recreatio omnino cessat ab Officio Tenebrarum feriæ IV Hebdomadæ S. ad Sabbatum S. exclusive. Iisdem autem diebus usque ad Sabbatum S. inclusive Litaniæ Sanctorum in Sacello omittuntur.

In Sabbato S. et diebus S. Marci et Rogationum, Litaniæ SS. mane ante Missam communitatis dicendæ sunt.

56. *Schedula* lectorum ad mensam, ministrantium in triclinio vel in culina, qualibet hebdomada *affigitur* loco patenti, ut de suo officio quisque commoneatur.

57. *In mensa et culina ministrant* plerumque soli Coadjutores diebus festis et diebus recreationis hebdomdariæ Scholasticorum. Die festo S. Alphonsi Rodriguez, mensæ ministrant Scholastici.

58. *Signa cum campana* ad Nostros convocandos semper dari solent; ita ut nec pro exhortationibus domesticis, nec pro casibus conscientiæ, nec pro Benedictione SS. Sacramenti in Sacello, nec pro meditationibus in triduo pro renovatione votorum aut tempore Exercitiorum annuorum desit signum, et omnes rite moneantur.

59. Si per aliquam causam differatur prandium, nihilominus suo tempore datur signum ad examen, et elapso horæ quadrante brevibus ictibus pulsatur campana ad finem examinis; et, cum parata sunt omnia, datur consuetum signum ad mensam.

60. Signa pro iis qui ad januam vocari permittuntur a Superiore, statuuntur a Ministro in tabella quæ prope campanam adfixa manet.

61. Scholastici omnes, præter quadrantem ante examen vespertinum, alium quadrantem *quotidie lectioni spirituali* tribuunt.

62. Singulis diebus, iis tantum exceptis quibus fit exhor-

tatio domestica vel concio in Templo, FF. Coadjutores *lectionem spiritualem* habent in communi per semihoram.

63. Semel in hebdomada, loco lectionis, fit FF. Coadjutoribus *catechismus*, vel ejus loco collatio spiritualis; ad hoc unaquæque Domus sibi diem eligit. *Famulis* item domesticis, ubi fieri potest, *explicatur doctrina Christiana* quavis hebdomada, die a Superiore assignata.

64. Excepto tempore natalium Domini et Paschatis, *exhortatio domestica* habetur alternis hebdomadis ab initio mensis Septembris ad finem scholarum.

Hebdomada qua non habetur exhortatio domestica, Scholasticis, in domibus ubi Nostri student, fit exhortatio vel collatio spiritualis per semihoram a Præfecto Spirituali.

65. Excepto Quadragesimæ et Adventus tempore, *casus conscientiæ* habentur alternis etiam hebdomadis a mense Septembri ad mensem Junium. Ubi pauciores sunt Sacerdotes, semel in mense habetur collatio.

Modus resolvendi casus conscientiæ hic est: Quatuor saltem dies antequam solvantur affiguntur in loco condicto. Unus e Patribus per ordinem designatus solutionem diligenter et scripto præparat, et cum tempus collationis advenit, prælecto a præside casu, Pater designatus principia solutionis profert, conclusiones eruit et propositam quæstionem expedit. Tum, si quis alius habeat aliquid addendum vel corrigendum, illud de licentia præsidis proferre potest. Ipse denique præses, prout res postulat, vel approbat vel addit vel emendat.

66. Ultima cujusque mensis die, distribuuntur *pagellæ*

Apostolatus Orationis cum nominibus Sanctorum, etc., pro mense insequente.

67. Extra ferias æstivas, natalitias et paschales, singulis diebus dominicis Scholastici qui studiis dant operam exercentur in *tonis* seu ratione concionandi; item Tirones, semel in hebdomada.

68. *Qui* ex suborta necessitate *ultra consuetum tempus dormiunt*, non prius obtenta venia, præterquam quod moneant excitatorem, etiam postea Superiori rationes reddere debent.

69. Magna cura incumbendum est ut *recreatio religiose transigatur*. In illa non leguntur diaria publica, nisi breviter et quæ interdum notatu digna videbuntur (Instr. P. Beckx, de lect. ephem.). Nemo a communi cœtu se subducit sine facultate Superioris.

70. Ut *tabacum* sub ulla specie sumatur, licentia habenda est in scriptis a Provinciali. Quod si, occasione visitationis viri primarii, episcopi, etc., cigari (cigares, cigars) inter recreandum a Superiore Domus conceduntur, licet omnibus qui adsunt fumum ducere.

71. Nostri, obtenta superioris venia adeundi unam aut alteram Domum, ad alias non divertunt; et si qua ratione id fecerint, mox a reditu de eo rationem reddunt Superiori.

72. *Porta domus* clausa semper manet et obserata clave.

73. *Nomina Nostrorum* in tabella prope Domus ostium appensa describuntur, triplici ordine alphabetico: primo Sacerdotum, secundo Scholasticorum, demum Coadjutorum.

74. *Tempore meditationis, examinis, lectionis spiritualis, exhortationis et conferentiarum*, nemo sive ad portam sive ad sedem confessionalem evocatur absque speciali venia Superioris; ea autem obtenta, evocatur non campanæ signo, sed in silentio ex loco ubi prædicta exercitia habentur.

75. Magistri Sacerdotes non secus ac Scholastici *ad portam* aut *ad telephonium* nunquam vocantur, nisi obtenta Superioris venia, toties quoties. Exceptio fieri potest pro his qui sunt simul operarii in templo.

CAPUT VII

DE VESTITU NOSTRORUM

76. Provideant Superiores ut omnes Nostri illis vestibus sint instructi quibus indigent. Ad eas comparandas, tum pro Patribus tum pro Scholasticis et Coadjutoribus, ipse Superior vel Minister aut Procurator cum mercatoribus, sartoribus, etc., agere debet; et nemini liceat pro se seligere aut facienda committere quæ ipsi placuerint.

77. Cavendum est, in quantum fieri poterit, ne quisquam vestes suas omnes apud se in cubiculo habeat. Vestes enim quibus aliquis non habet opus, sub cura illius esse debent qui custos vestium domi constitutus est, qui singulis tradat eas quas oportet. Arcæ (malles, trunks) etiam, non in privatis cubiculis, sed in loco ad id deputato serventur. Ministri autem est visitare interdum singula cubicula, ut videat num omnia necessaria adsint et si quid superflui aut religiosæ paupertati minus consentaneum in ipsis inveniatur.

78. *Patres* et *Scholastici* domi agentes *veste talari*, quæ clericis propria est, semper utantur, nisi forte aliquando, judicio Provincialis propter nimios calores vel propter lusus quibus

juniores sese recreare solent, valde incommodum videatur: quo in casu, saltem levi et decenti amiculo (habit, coat) utantur, etiam in cubiculis privatis. Idem dici potest de tempore feriarum æstivarum quo Scholastici apud prædium commorantur.

In locis ubi vestis talaris non est in usu extra domum, cum foras prodeunt, breviori quadam veste indui licet, quæ tamen nigri coloris sit et ad genua producatur. *Petasus* stramenticius (chapeau de paille, straw hat), quo nonnulli utuntur tempore æstivo, modestæ sit formæ et talis quæ deceat viros religiosos.

FF. Coadjutores induantur veste religiosa (quæ brevior juxta regulam esse debet), quandocumque per occupationes licet. Unde:

A. Assumenda est ab omnibus Fratribus quando intersunt exercitiis communibus, qualia sunt S. Missa, meditatio, exhortatio, mensa, etc.

B. Ea vestiantur omni tempore Fratres qui occupantur in scholis, ecclesiis; et in domo, nisi ubi laboriosa quædam opera (e. g. detergendi vel lavandi tabulatum, fenestras, etc.) grave nocumentum allatura videantur isti vesti; quo in casu, ex Superiorum judicio, tum decori tum ædificationi consulitur si ad interim demittant vestem religiosam. Nunquam vero domum percurrant, nisi induti veste religiosa vel saltem amiculo (habit, coat) obscuri coloris.

C. Non assumenda est a Fratribus vestis religiosa dum in operibus foris occupantur, uti agro colendo, fabricando, etc. Vestes quibus induuntur, cum eunt foras deambulatum, sint

obscúri coloris, simplicis et modestæ formæ; quales ipsos distinguere valeant non tantum a Patribus et Scholasticis sed etiam a viris laicis.

CAPUT VIII

DE REFECTIONE NOSTRORUM

1. *De Benedictione Mensæ*

79. Benedictio et gratiarum actio in prima mensa fit alta voce, secundum ritum Romanum. Psalmus tamen *Laudate Dominum omnes gentes* semper retinetur et Versus *Benedicite* semper dicitur, exceptis diebus Cœnæ Domini et Parasceves.

80. *Mensæ* passim *benedicit* Minister. Ministro absente, alius Pater a Superiore designatus mensæ benedicit. Quoties in benedictione et gratiarum actione pronuntiatur *Gloria Patri, Sit nomen Domini benedictum*, fit reverentia ab omnibus modica capitis inclinatione.

81. Ad versum *Benedicite*, uti etiam cum dicitur *Benedic Domine nos*, signant se omnes cruce, et Sacerdos enuntians illa verba *Et hæc tua dona*, cruce in aere prolata, benedicit cibum.

Nullus, exceptis Superioribus, absque speciali licentia, in refectorium ingreditur peracta mensæ benedictione.

In secunda mensa benedictio et gratiarum actio fiunt

privatim. Unusquisque autem surgit a mensa postquam comestionem absolverit, non tamen ante finem lectionis, si qua habetur.

82. *Diebus abstinentiæ*, ante collationem vespertinam benedictio fit de more; gratiarum autem actio dicitur a singulis privatim, prout a mensa surgunt. In vespertina collatione *diebus jejunii* quisque assidet expleta privata benedictione, et absoluta comestione surgit.

2. *De Ordine sedendi et egrediendi*

83. In iis domibus ubi R. P. Provincialis ordinarie non residet, *sedes* solius *Superioris* in refectorio distincta est, nempe in capite primæ mensæ. Hanc vero occupat R. P. Provincialis, etiam alterius Provinciæ, quando adest; et tunc Superior localis sedet ad ejus sinistram in capite mensæ ibidem adjacentis, quam sedem porro nullus occupat in secunda mensa. In hac secunda sede solent quoque sedere alii Superiores et Rectores Provinciæ, etiam alienæ, per illam Domum aut Collegium iter habentes. Ea vero sedes cæteris Patribus communis est, cum Superior nullus alius præter localem domi est. Sedem Superioris absentis nemo e domesticis occupat. Minister tunc solum occupat Rectoris locum, quando hic diutius abest et illum Vice-Rectorem designavit. Solo Domus Superiore excepto, Nostri (etiam Minister) mensæ assident nullo servato ordine ætatis aut officii. Primum Patres, dein Scholastici, demum Coadjutores. Ille tamen Pater, qui vel Magistri Novitiorum vel Instructoris Patrum 3ae Prob. munere fungitur neque simul Superior

est, Superiori proximus assidet; quam porro sedem non cedit nisi alicui Rectori qui per illam domum iter habet.

84. In maioribus Domiciliis præfectus refectorii primæ mensæ adstat, animadversurus quid desit: ea quibus opus est subministrat. In parvis autem Domibus, ita primæ mensæ accumbit cum aliis ut, si necesse sit, inde surgat ad hæc aliaque sui officii munia præstanda.

85. Ordinarie *nemo* Patrum aut Scholasticorum *aperto capite* ad mensam sedet. Qui vero parvæ mensæ accumbunt pileum quadratum (birettam) in capite servant, sicut et cæteri.

86. Superior solet primus assidere, primus a mensa surgere, primus post gratiarum actionem exire, quem sequuntur cæteri uno vel duplici ordine juxta gradum.

Sacerdotes quo die *primitias celebrant*, aut *ultima vota nuncupant*, ad prandium proximi Superiori assident; Fratres autem die suscepti gradus primum locum occupant inter Coadjutores Temporales. Si plures sint, is locus pertinet ad antiquiorem, cui reliqui promiscue assident. Similiter qui post Novitiatum *vota emittit simplicia* ipso die nuncupationis sedet primus in mensa sui ordinis; si Sacerdos est, assidet Superiori. His autem diebus *mensa floribus ornatur* ad eorum sedem qui primum Sacrum fecerunt vel vota nuncuparunt.

3. *De Ordinaria et Extraordinaria Nostrorum Mensa*

87. Pro *jentaculo* ordinarie unum ferculum ex carne apponitur, sive recenti sive decocta et varie concinnata. Ad-

ditur *caffeum* et lac vel jam cum eo permixtum vel seorsim in vase. Butyrum quoque et *gruau*, *oat-meal*, *force*, etc. conceduntur. *Diebus esurialibus*, pro carne datur portio ex piscibus vel ex ovis.

Jentaculum lautius apponitur Sacerdoti primitias celebranti, et iis qui ultima vel prima vota nuncupant.

88. *Ordinaria* Nostrorum refectio *in prandio*, præter jusculum, constat duplici portione carnis cum duplici legumine. Diebus esurialibus, pro carne datur portio una ex piscibus et altera ex ovis, aut quid simile. Hisce diebus butyrum præterea apponitur. Pro postpasto (dessert) dantur fructus vel dulciaria, et caseus. Præter aquam, cerevisia aut vinum leve aut lac ordinarie apponitur ad potum.

89. Pro *cœna ordinaria*, præter *theum* et butyrum, dum licitus est esus carnium, apponitur portio carnis quæ forte superfuit; aut pernæ segmina apponuntur, aut ova, aut quid simile. Additur aliquid leguminum, aut placenta ex tunso frumento subacta; generatim etiam conceduntur fructus, vel recentes vel cocti. Diebus autem esurialibus, loco carnis datur portio ex piscibus vel ovis. In pervigilio Nativitatis D. N. J. C. et feria V Majoris Hebdomadæ, collatio meliori ratione apparatur, et adduntur quædam dulciaria. Quoad jejunium in pervigilio S. P. N. Ignatii, servatur decr. 16 congr. Gen. VII.

90. *In Festis* extraordinarium aliquid pro prandio apparari solet. In duplicem autem ordinem Festa dividuntur.

Festa primi ordinis sunt:

Nativitas Domini
Circumcisio
Festum Paschatis
" Pentecostes
Festum SS. Cordis
Immac. Conceptio B. V. M.
Assumptio B. V. M.
Patrocinium S. Joseph
Festum S. P. N. Ignatii
" S. Aloysii, in Collegiis
" S. Stanislai, in Novitiatu
Dies renovationis votorum
Feria III ante Cineres
Dies promotionis ad gradum
Dies primitiarum sacerdotum
Festum onomasticum R. P. Provincialis, in Domo in qua tunc versatur
Adventus R. P. Provincialis ad visitandam domum
Festum onomasticum P. Superioris
Primus, medius et ultimus dies vacationum majorum

Festa secundi ordinis sunt:

Festum SS. Trinitatis
Epiphania Domini
Festum SS. Nominis
Ascensio Domini
Solemnitas Corporis Christi
Nativitas B. V. M.
Purificatio B. V. M
Annuntiatio B. V. M.
Festum Omnium Sanctorum
" Omn. SS. Soc.
" S. Joseph
Festa Sanctorum Societatis
Postridie Natalis Dni, Paschatis et Pentecostes
Dies instaurationis studiorum in Collegiis
Dies distributionis præmiorum in Collegiis
Dies 12us Martii, anniversarius canonizationis SS. Ignatii et Francisci
Dies 7us Augusti, anniversarius restitutæ Societatis
Dies 27us Septembris, anniversarius confirmationis Societatis

Festa S. Thomæ Aq. pro theologis et S. Catharinæ pro philosophis ubi Nostri student.

Diebus villæ hebdomadariæ et *BB. Nostrorum*, adduntur quædam dulciaria.

91. Porro, *in Festis primi ordinis*, ordinaria non ordinarie apparantur. Præterea additur unum aliud exquisitius ferculum, præsertim ex altilibus. Duo etiam legumina adduntur et perna. Tum postpastus tribus dulciariorum ge-

neribus instituitur et fructibus, aut recentibus aut siccis. Sub finem mensæ datur vini haustus generosioris. Et, sive in ipso refectorio sive in loco recreationis, concluditur *caffeo* et (excepta Domo Probationis) liquore (*liqueur*, *liquor*) in exiguis cyathis.

92. *In Festis secundi ordinis* omnia apparantur melius solito; et ex duobus ordinariis ferculis unum saltem est ex altilibus aut aliqua carne exquisitiori, cum perna vel farcimine ac leguminibus. In postpastu duo sunt dulciariorum genera vel fructus et additur vinum generosum cum *caffeo*.

93. Si Festa incidant in diem abstinentiæ ecclesiasticæ, eadem servata ratione pisces et ova pro carnibus apponuntur.

94. Datur quotidie haustus *caffei* cum frustulo panis et caseo omnibus qui indigeant, hora circiter 4 pomeridiana in loco constituto extra culinam.

95. Lectoribus et Magistris conceditur *ter* in anno *refectio* aliqua *extraordinaria* in modum cœnæ. Cui invitantur et Operarii.

96. Universim mensa nostra frugalis et religiosa esse debet, maxime in tractationibus extraordinariis, ne redoleant lautitiam sæcularem cum scandalo externorum et dedecore status nostri.

97. Si quid dapium aut aliud quodcumque alicui mittatur ab externis, id non illi traditur sed *in communem usum* adhibetur.

98. *Extra tempora refectionis ordinariæ*, si quid aliquibus concedatur, id in loco ad hoc designato a Fratre paratur; et nemo ad culinam, cellam aut penu accedit ut inde sumat

quod libeat. *Lectori* autem *ad prandium* licet se antea jusculo vel aliquo potu reficere.

99. Consensus Superioris, vel, si specialis est ratio, Provincialis expetendus est si quis ordinarie vel ad longius tempus cibo quodam aut potu peculiari indigeat. Ad spiritus ardentes vero bibendos necessaria semper est venia Provincialis.

4. *De Lectione ad Mensam*

100. Semper fit lectio ad mensam toto prandii et cœnæ tempore. Interdum vero ad prandium, ex aliqua peculiari circumstantia (prudenter tamen, ne in consuetudinem abeat) fit a Superiore loquendi venia. In festis primi ordinis hæc venia communiter conceditur post aliquam lectionem; in festis vero secundi ordinis, solum versus prandii finem, i. e. cum apponitur postpastus. In Collegiis conceditur insuper hæc facultas die vacationis hebdomadariæ, extra Quadragesimam. Ubi habetur colloquium in prima mensa, etiam in secunda habetur.

101. Curat præfectus ut *idonei lectores* mensæ a Superiore destinentur, et eos instruit ut alta, clara et distincta voce legant.

102. *In seligendis libris* qui legantur servatur regula 10 lectorum ad mensam: scilicet, illi esse debent qui et pietatem promoveant et vocationis propriæ propositum confirmare possint.

103. Hic vero est *legendi ordo:* 1. Ex Scriptura S. latine decem circiter versiculi; sed tantum ad prandium; 2.

Proclamationes ordinariæ, commendationes speciales, monita, etc., suffragia, litteræ encyclicæ, etc.; 3. Menologium sequentis diei vernacule, tantum ad cœnam, exceptis jejunii et abstinentiæ diebus, quibus legitur ad prandium antequam incipiat lectio vernacula; 4. Liber aliquis vernacule conscriptus; 5. Demum Martyrologium sequentis diei lingua vernacula, tantum ad prandium. In Martyrologio pronuntiantur semper primo loco festa mobilia et festa Societati propria, nisi hæc altiori ritui locum dent.

In festis primi ordinis et in festi Epiphaniæ, Ascensionis, S. Joseph et Omnium Sanctorum, omissa S. Scriptura, legitur *tractatus* aliquis vernaculus aut concio *de festo*, in prandio et in cœna; in festis vero nostrorum Sanctorum, saltem in prandio.

Dum in Martyrologio annuntiantur festa 1 et 2 classis D. N. J. C., B. M. V., S. Joseph, necnon SS. Apostolorum, Sanctorum et Beatorum Societatis, omnes *caput aperiunt* per totum Elogium.

104. Debitis temporibus *annuntiantur* ea *quæ* in Instituto nostro *præscribuntur de Sacris et precibus offerendis;* quod præstandum est etiam si, concessione facta ab Adm. R. P. N., tali obligationi satisfiat *per secundam intentionem.*

105. *Martyrologium* omittitur tribus ultimis diebus Hebd. Maj.; feria autem IV legitur integrum, præmittendo memoriam institutionis SS. Sacramenti; et die Paschatis, antequam annuntiatur dies sequens, leguntur ista verba: «En ce jour etc., On this day, etc.» in Martyrologii initio posita.

106. *Per annum non leguntur* ex S. Scriptura ea capita

quibus Passio D. N. J. C. continetur. *Tempore* vero *Passionis* leguntur juxta hanc divisionem:

Dominica Passionis	In prandio, Matt., c. 26 ad v. 36
	In cœna, reliquum ejusdem capitis
Feria II	Matt., c. 27 ad v. 32
" III	Reliquum ejusdem capitis
" IV	Marc., c. 14 ad v. 32
" V	Reliquum ejusdem capitis
" VI	Marc., c. 15 ad v. 21
Sabbato	Reliquum ejusdem capitis
Dominica Palmarum	In prandio, Matt., c. 21 ad v. 20
	In cœna, Luc., c. 22 ad v. 39
Feria II	Reliquum ejusdem capitis
" III	Luc. c. 23 ad v. 33
" IV	Reliquum ejusdem capitis
" V	Evangelium diei Joan., c. 13 ad v. 16
" VI	Joan., c. 18 & 19, nihilque præterea
Sabbato	Evangelium diei, Matt., c. 28 ad v. 8

Reliquo tempore ad mensam a Dominica Passionis usque ad Pascha leguntur tractatus aliquot de Passione.

In residentiis, ubi exiguus est accumbentium numerus, post brevem lectionem, ad prandium et cœnam colloqui liceat. Jentaculum semper et ubique silentio sumendum est.

107. Quando initio cujusque mensis leguntur Summarium Constitutionum, Regulæ Communes et Epistola S. P. N. Ignatii de virtute obedientiæ, omittitur lectio S. Scripturæ, nisi legendum sit de Passione Domini (Reg. præf. ad mens. 6.).

108. Extra ferias natalitias, paschales et æstivas, die Dominica (si vero major Scholasticorum numerus id requirere videatur, alio etiam die) singuli *Scholastici* etiam Ju-

niores, ordine suo pro lectione inter cœnandum *concionem habent*. Istius concionis thema ab ipso præfecto concionum cuique assignatur, hebdomada mediante, vel etiam ineunte si quis esset in sacris constitutus. Post singulas vero conciones præfectus concionum libere et amanter privatim eos monet in quo defecerint quoad vocem, gestus et alias boni concionatoris partes (Instr. II, nn. 3 et 4). Ab hac concione eximuntur ii qui panegyricam orationem aut concionem die quo vota renovantur habituri sunt in triclinio. *Tirones* in Domo Probationis, singulis Sabbatis vel etiam sæpius, pro eorum multitudine, sub cœna *Exemplum* aliquod *Marianum* proponere solent.

Loco consuetæ lectionis ad prandium, panegyrica celebrantur oratione 1° in Domo Probationis S. P. Ignatius, S. Stanislaus, S. Joseph, in eorum festis, a novitiis, — et ab aliquo a Junioribus S. Joannes Berchmans; 2° in seminario Scholasticorum philosophiæ ac theologiæ addictorum S. Catharina et S. Thomas Aquinas.

109. *In lectione* ad prandium et cœnam *peculiaris ratio Coadjutorum habenda* est, ut aliquid vernacula lingua ad eorum consolationem legatur.

110. Die qua fit *abstinentia Societatis* legitur in cœna per quinque fere minuta aliquid ex «Imitatione Christi». Hæc vero abstinentia, quæ ordinarie fit in cœna singulis feriis VI, ea die omittitur quando in eam incidit Communio generalis ex regula, aut quando alia die ejusdem hebdomadæ habetur sive jejunium ecclesiasticum, sive abstinentia

pro renovatione votorum. *Diebus jejunii*, in collatione nihil omnino legitur.

111. Lector *stans et aperto capite* legit Scripturam S. et Martyrologium, *cooperto* autem *capite*, proclamationes, reprehensiones, suffragia, Menologium et titulos librorum. *Ille* autem *cujus nomen proclamatur* statim *aperit caput*. Quotiescumque Superior Domus, incepta lectione, ingreditur, vel egreditur, ante finem mensæ, lector silet usquedum sederit vel egressus fuerit.

112. Hoc modo *indicantur librorum tituli* qui legendi occurrunt: 1. *Scriptura S.* — «Libri primi Regum, caput sextum». Si lector incipiat a medio capite addit: «continuatur». In fine dicit: «Continuabitur idem caput», vel «Sequitur caput septimum». 2. *Passio* — «Passio D. N. J. C. secundum Marcum». 3. *Lectio vernacula* incipienda est a titulo libri cum auctoris nomine; deinde indicatur pars et caput.

113. *Monita* omnia et *suffragia* quæ leguntur in triclinio, lectione absoluta, *affiguntur* in loco patenti a Superioribus designato quo omnes possint accedere, si quando indigeant.

114. Superior domus, sub finem prandii, lectionem Martyrologii indicat per verbum «Martyrologium», finem vero legendi vespere per verbum «satis». Superiore absente, id præstat Minister, etiam cum adest Provincialis. Si etiam Minister absit, Subminister vel, ejus defectu, sacerdos antiquior signo aliquo monet legendum Martyrologium aut lectionem finiendam.

Ubi habetur *lectio in secunda mensa*, legitur tantum liber

vernacule scriptus qui a Superiore assignatur, per quartam circiter horæ partem. In prandio additur Martyrologium et in cœna Menologium. Si forte vel pauci sint qui secundæ accumbunt, vel alia ratione Superioris judicio lectio omittenda, fit saltem in ea promulgatio suffragiorum, et monitorum omnium, quæ in prima lecta fuerunt; quibus lectis, silentium servatur.

5. *De Pœnitentiis in Refectorio*

115. *Pœnitentiæ* in refectorio, præter eas quas potest Superior imponere, habentur in hac Provincia *sequentes:* 1. dicere culpam (cf. Append. III); 2. parva mensa; 3. brachiis in crucem porrectis benedictionem et gratiarum actionem in genibus dicere; 4. pedes deosculari; 5. mensæ ministrare.

116. Pœnitentiæ fiunt *feria IV et VI* (nisi sit dies S. Communionis ex regula) cujusvis hebdomadæ; in Quadragesima etiam Sabbato. Insuper in vigiliis festorum D. N. J. C. et B. M. V. quibus fit Communio ex regula, Sanctorum Omnium, Sanctorum Societatis. Pœnitentiæ omittuntur a vigilia Nativitatis D. N. J. C. usque ad octavam Epiphaniæ, toto tempore Paschali, ac tempore æstivarum vacationum.

117. Minister, subsistens ad valvas refectorii, pœnitentias concedit eas petentibus.

118. *Reprehensio publica* alicujus particularis personæ fit semper initio mensæ ante lectionem.

Formula publicæ reprehensionis e suggestu hujusmodi est: «Ex parte S. Obedientiæ dicitur culpa Patris N. N. aut Fratris N. N. (exprimitur nomen et cognomen), qui, etc.,

et ideo ipsi pro pœnitentia injungitur ut, etc.» Cui formulæ animadversiones et monita addi possunt, si quando Superior pro culpæ gravitate in Domino judicet.

Cujus vero culpa legitur audit aperto capite usque ad finem. *Schedula* autem in qua culpa descripta est statim post gratiarum actionem *redditur Superiori;* quod etiam servatur circa defectus ante renovationem votorum, etc., lectos, si forte a P. Ministro non lecti fuerint.

6. *De Tractatione Hospitum Nostrorum et Externorum*

119. Censuit Congregatio VII, decr. 18, S. P. Nostri majorumque vestigiis fortiter insistendo, *Nostros* per Domos Collegiaque iter facientes magna *ubique caritate esse excipiendos*, ut mutui amoris vinculo arctius in dies colligemur; maxime cum sincera in Nostros hospitalitas una e primis validisque inter nos conjunctionis causis numerari debeat.

120. Statim ab adventu, si opus sit, reficiuntur igne, cibo et potu. *In cubiculo* eorum, suppellectili necessaria instructo, præsto sint aliquis pius libellus et omnia ad scribendum requisita. *Infirmorum* vero *peculiaris* habenda est *ratio*, ut nihil eorum curæ desit. *In* proxima ab adventu *refectione*, præter solita eis offertur postpastus cum scypho vini generosi. Idem fit pro Nostris ab alia domo immigrantibus aut a longo itinere redeuntibus. His etiam longior requies uno vel altaro die concedi solet.

121. *Sæculares viri*, etiam *Sacerdotes*, nisi dum Exercitia Spiritualia peragunt, raro apud nos pernoctant, aut

ad communem mensam admittuntur. Nemo illos ad hæc invitat, nisi Superior, gravi de causa.

122. *Religiosi* aut *alii de Clero bene de Societate meriti*, item peculiares amici et Nostrorum consanguinei, si justa subest causa, juxta Rectoris regulam 74, ad mensam invitari posse videntur.

CAPUT IX

DE DISCIPLINA DOMESTICA QUIBUSDAM TEMPORIBUS

1. *De Vacationibus*

123. Quando Nostri a studiis vacant tota die, *qui ambulatum eunt* sint reduces quadrante ante examen matutinum. A prandio vero ita ambulatio ordinanda est ut in hieme sint reduces ante tenebras, in æstate autem quadrante ante cœnam.

124. Nostris non licet interesse publicis fabulis et similibus. Licet autem Nostris se domi aliquo *lusu honesto* recreare; sed clamores et lusus strepitosi qui a vicinis audiri possunt omnino caveantur (Cong. VI, decr. 40, n. 9).

125. *Tempore feriarum majorum* in æstate (quod brevius esse non debet duabus hebdomadis), recreatio habetur mane post jentaculum quod semper silentio sumitur, usque ad horam examinis. A prandio, post finitam recreationis horam consuetam, per integram horam silentium servatur. Postea recreatio resumitur.

126. *In recreationibus* memores sint verborum S. Patris: «In Nostris appareat modestia et humilitas, conjuncta cum

religiosa maturitate. » Itaque clamores inconditi, saltationes, aliaque quæ choreas sapiunt excluduntur.

127. Videbit Superior utrum hoc tempore feriarum majorum, *ultra* consuetas *septem horas* somno tributas, oporteat aliquid juvenibus concedere. Cura etiam commendatur nutrimenti. Singulis porro diebus, præter numerum dapium consuetum, mos est aliquid prandio addere. Ter inter tempus feriarum majorum prandium habetur ut in festis primi ordinis.

In vacationibus *majoribus* conceditur, hora quarta pomeridiana, *haustus* cerevisiæ, aquæ limonatæ aut aliquid simile, cum crustulis. Aliquoties in iisdem vacationibus, hora nona, vespere conceditur haustus vini, cum crustulis.

Quadrante ante cœnam, pulsatur ad litanias recitandas. Post cœnam fit examen, etiam deambulando si velint. Quo finito, incipit recreatio quæ ad horam decimam protrahi potest. Qui volunt, possunt hora consueta se recipere. Nemo autem decumbere debet nisi puncta meditationis præparaverit.

In vacationibus *majoribus*, tam ad cœnam quam ad prandium, conceditur facultas loquendi; ad prandium tamen semper legitur aliquid SS. Scripturarum et Martyrologium, ad cœnam autem Menologium.

128. Post ferias istas majores in æstate, *ferias minores* transigunt ad sequentem normam: *Feria III et V*, recreatio incipit mane hora nona et durat usque ad quadrantem ante examen matutinum; post meridiem, ab hora tertia usque ad cœnam. *Reliquis diebus*, mane recreatio habetur ab

hora nona ad decimam; et a prandio ab hora quarta ad quintam; præter diem Sabbati, in quo habetur recreatio vel deambulatio ab hora tertia ad cœnam.

Scholastici non magistri duas conciones componunt, quas in fine vacationum Præfecto studiorum submittunt.

2. *Pro Commorantibus in Prædio*

129. In villa, *clausura* fideliter servatur et ingressus mulieribus prohibetur.

130. Meditatio, examina, lectio spiritualis, auditio Sacri, Litaniæ, Confessio, S. Communio, visitationes Sanctissimi et cætera *exercitia spiritualia* ab omnibus fideliter perficiuntur.

131. *Apud externos* in vicinia nec visitationes facient nec cibum sument. Cavebunt etiam sedulo ne ullis querelis dent occasionem.

132. In villis nostris, si opportunitas est *balneorum* in mari vel in flumine, nemini fas est pro libitu illis uti et qua hora velit; sed cum venia Superioris. Designantur limites quos transgredi nemini liceat, tum ad præcavenda pericula, tum ad vitandum aspectum externorum.

CAPUT X

DE ITINERANTIBUS ITINERUMQUE EXPENSIS

1. *De Itinerantibus*

133. In itineribus suscipiendis *habenda* est *ratio dierum Dominicorum et Festorum*, ne illa temere et absque necessitate ejusmodi diebus instituantur.

134. Superiores, dum suos foras mittunt, eis rationem in itinere servandam et tempus redeundi præscribunt, et in reditu rationem exigunt. *Patentibus* etiam *litteris* instruunt, quando ratio itineris id postulat.

135. Curabunt, quantum fieri potest, ut *tempestive ad Collegia* vel *Domos* per quas transeunt aut ad quas mittuntur *appellant*, ne ordo domesticus et recollectio vespertina perturbentur.

136. Quando Nostri ex una in aliam Domum commigrant, primo tempore *scribent ad Superiorem* Domus unde discesserunt.

137. Migraturis jussu Provincialis dabitur arca (malle, trunk), quæ contineat illa omnia quæ auferenda sunt; et generatim arcula sive cistella (valise), qua ferat quæ in itinere

ad manum habere debet viator. Paupertati repugnat ut Nostri cum pluribus arcis aut cistis iter agant.

138. Curabunt Superiores, sive per se sive per Ministrum et custodem vestium ut qui *abiturus* est *secum ferat quæ debet*, neque sinent ut abjiciat tanquam inutilia quæ ad tempus usui esse poterunt.

139. *Libri non circumferuntur* e domo in domum, nisi «Imitatio Christi» et «Thesaurus» vel «Liber Regularum» pro omnibus, cum Breviario pro Patribus. Alios libros relinquunt, nisi unum aut alterum velit illis concedere Superior Domus.

Tradatur migraturo tantum pecuniæ quantum sufficiat ad iter propositum commode faciendum. Et hoc viaticum a Superiore illius domus ad quam missus est subditus, requirat Superior domus ex qua dicessit: ita tamen ut nihil postulare liceat præter id quod pro illo itinere ordinarie expendendum erat.

140. *Si* discedenti *offeratur aliquid* pecuniæ aut aliud a piis amicis (nam petere non licet) admittitur quidem, sed totum *traditur Superiori* Domus ex qua iturus est; is autem dabit viatori quod necessarium erit.

Curent Nostri ut abeant absque concursu et comploratione pœnitentium, amicorum, etc., quod simplicitatem religiosam non parum dedecet.

141. Undecumque acceptum fuerit *viaticum* seu elecmosyna quæcumque, *non licet nisi in usus necessarios* aut itineris expensas, juxta mentem Superioris sui, inde quidquam *expendere* (Mon. Gen. 13).

142. Simul ac in illam domum advenerint ad quam destinantur, Superiori vel Procuratori *rationem reddere debent etiam non rogati*, de pecunia accepta et de expensis in itinere factis; et si quid superest, illi tradent, ut inscribi possit in librum rationum cum illa Domo unde venerunt.

143. *In itinere* memores erunt ædificationis; exercitia spiritualia non omittent; digressiones et moras in itinere vitabunt, necnon impensas non necessarias.

144. *Si oportuerit in aliquod Societatis domicilium divertere*, ibi non diutius morabuntur quam necessitas postulabit, et dum manent servabunt regulas et consuetudines illius Domus, perinde ac si ordinariam ibi residentiam haberent, nec quidquam secus agent absque consensu Superioris. Sæculares igitur non invisent, aut extra domum cibum sument, aut ultra definitum tempus vespere e domo aberunt, nisi obtenta Superioris venia, justis de causis. Superiores, apud quos morantur Nostri hospites, intelligent illos sibi pro illo tempore in iis quæ ad disciplinam spectant omnino subditos esse, sibique onus incumbere ut illorum curam habeant, tanquam rationem reddituris de animabus eorum.

2. *De Repetendis Expensis*

145. *Expensas itinerum solvere* ejus est Collegii vel Domus, in cujus bonum et utilitatem cedit profectio; quod si in ea re dubium sit, judicio Provincialis statuendum relinquitur (Reg. Prov. 116). Qui ex una in aliam Domum mittuntur ut in ea commorentur, eorum viaticum solvit Domus illa ad quam profiscuntur.

Quod si in itinere aliquid acciderit ex quo ultra solitum sumptus notabiliter excreverint, illæ necessariæ et improvisæ expensæ ita distribuentur ut mediam partem utraque Domus, ex qua et in quam quis migrabat, sustineat.

146. Si quis post labores toleratos in aliqua Domo, fractis viribus neque ad novos labores idoneus, mittatur in aliam Domum ut ibi quiescat, illius expensas in viaticum, pharmaca et quæcunque alia ad medicationem, victum et vestitum necessaria, *solvet illa Domus unde discessit et in qua proxime operatus est* (Cong. VII, decr. 18).

147. Dum Nostri ex una in aliam Domum mittuntur ut in ea commorentur, Domus unde discedunt *instruere eos vestitu honesto* suis expensis debet. Erunt autem fere quæ sequuntur: vestis talaris cum cingulo et rosario; biretum; epitogium pro temporis varietate. Si in veste laica iter aggrediatur, dantur vestis pectoralis et tunica. Duo indusia, et duo paria tibialium. Si desiderentur, duo indusiola et duo femoralia pro tempore anni. Braccæ. Collaria aliquot. Sex sudariola. Calceamenta cum tegumentis, et crepidæ. Pileus. Umbrellarium. Arca, et, si requiratur, arcula. Afferantur vestes jam in usu. Horologium vero non sumant secum ex una in aliam domum, nisi specialem licentiam a Rectore Domus vel a Provinciali obtinuerint, quæ tunc solum concedi debet ubi injuria domui non fit unde quis discedit.

Idem intelligatur de supellectili sacra, v. g. pyxide, vasis ss. oleorum, stola, etc., quæ cuique domui propria esse de-

bent et non sunt asportanda absque speciali Provincialis licentia.

148. Quod si in aliquo casu *controversia* inter antiquæ Domus et novæ Superiores oriatur *de vestibus aut de viatico*, hæc ad Provincialem mature deferatur, qui decernet quid cuique ferendum sit. Interim vero summopere cavendum est ne ille de quo agitur aut sciat quidquam de ista disputatione, aut careat quibus indigeat.

CAPUT XI

DE CURA INFIRMORUM ET DE EXEQUIIS DEFUNCTORUM

149. Nostri dum ægrotant *ad publicum nosocomium* minime transferuntur, nisi adsit specialis et gravis causa. Domi foventur omni cum caritate et sollicitudine. Ubi *aliquis periculose ægrotat*, solet Superior vel per seipsum vel per alium de instanti periculo illum præmonere, hortarique ad suscipienda tempestive Ecclesiæ Sacramenta, nisi illa ipse prior petierit; quem e Nostris Confessarium se optare significaverit, is ad ipsum incunctanter mittitur. Ægrotis Nostris porrigatur S. Communio quotidie, si id desiderent.

150. Infirmi qui jam a mense decumbunt absque certa spe ut convalescant — immo qui gravi morbo correpti et ex medici judicio naturale jejunium servare non valentes, nequeunt tamen in lecto decumbere aut ex eo aliquibus horis per diem surgere queunt — de Confessarii consilio SS. Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, si degunt in piis Domibus ubi SS. Sacramentum asservatur aut privilegio fruuntur celebrationis Missæ in Oratorio domestico, etsi aliquid per modum potus antea sumpserunt.

Graviter ægrotanti S. Viaticum, ex gravissima Doctorum sententia, etiam *non jejuno* per se dari potest, saltem tertio quoque die, imo aliquando quotidie si mors instare propius videatur.

151. *S. Viaticum et Extrema Unctio* juxta Rituale Romanum administrantur a Superiore Domus vel Præfecto spirituali, adjuto a duobus ministris superpelliceo indutis, præsentibus, quoad fieri potest, omnibus aliis, campanæ domesticæ signo convocatis.

152. *Quando* infirmo *præbendum* est *S. Viaticum*, observantur præterea quæ sequuntur: Ægri cubiculum erit mundum et in eo parabitur mensa linteo mundo cooperta, in qua ponuntur Crucifixi imago, duo luminaria, vasculum cum aqua et purificatorium. Præsto etiam erunt bursa cum corporali, linteum mundum ante pectus communicaturi ponendum et aqua benedicta cum aspersorio.

Quando tantum S. Oleo inungendus est ægrotus, paratur in ejus cubiculo mensa linteo candido cooperta, vas cum bombacio in septem globulos distincto ad abstergendas partes inunctas, crux et aqua benedicta cum aspersorio.

153. Porro *S. Communio* quæ minus graviter ægrotantibus defertur, imo et aliis post primam vicem, potest deferri ab alio sacerdote cui adsint, si commode fieri potest, duo ministri cum superpelliceo et facibus.

154. Post datum S. Viaticum, *ægrotus commendatur* ad mensam *Sacrificiis* Nostrorum et *orationibus*, et in Litaniis vespertinis additur *Oratio pro infirmo*, vel *pro morti proximo*,

donec aut vita functus aut proximo periculo mortis ægrotus ereptus fuerit.

155. *In extremo agone*, cum solitæ pro commemoratione animæ preces rite persolvuntur, Nostri, si tempus ferat, per campanæ signum convocantur.

156. *Statim a morte alicujus e Nostris*, triplice campanæ domesticæ pulsu admonentur omnes ut pro sua quisque devotione animam defuncti Domino commendent; si noctu defungatur, tunc signum illud datur mane ante matutinam orationem. In litaniis additur *Oratio pro defuncto*.

157. Quamprimum *Provincialis certior faciendus* est de obitu, ut possit præscribere toti Provinciæ suffragia consueta. Præterea caritas postulat Domibus vicinioribus ab ipso Superiore Domus mors nuntietur et suffragia expetantur (Cong. XXI, decr. 23). *Consuetudo* fert ut ii qui Sacerdotes non sunt toties indulgentias S. Communionis pro defuncto offerant quoties coronæ præscribuntur.

158. Ad mensam monentur Nostri de peragendis præscriptis *suffragiis* pro defuncto.

159. *Monentur* quamprimum *parentes* et magis propinqui, indicata die et hora exequiarum.

160. *Vestiuntur defuncti* Patres veste talari, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et casula violacea (Rit. Rom.). Scholastici clerici veste talari et superpelliceo; reliqui veste religiosa. Dein *corpus*, cruce inserta manibus supra pectus complicatis, *exponitur* in loco decenti, in quo semper adsit lumen et aqua benedicta cum aspersorio.

161. *Exequiæ* fiunt in Sacello vel in Templo. Hora con-

venienti datur signum ut omnes Patres et Scholastici, quoad fieri potest, adsint ad *Officium Defunctorum* integrum recitandum sine cantu. Post Matutinum et Laudes, fit *Sacrum*. Post Missam, si statim corpus tumulandum sit, fit *absolutio* ut in Rituali, et ad sepulchrum defertur. Crucifer et ceroferarii præcedunt, quos sequuntur bini FF. Coadjutores, tum Scholastici et Sacerdotes superpelliceo induti, atque omnes candelas accensas gestantes, si commode fieri potest. In fine venit Sacerdos celebrans, post quem cadaver in feretro effertur. Idem servatur ordo si in aliud tempus sepultura differatur. Quæ superius dicta sunt de funeribus Nostrorum semper observantur, nisi urgente Episcopo et clero seculari vel suadentibus circumstantiis secus faciendum videatur. Quo in casu nihilominus consulitur Provincialis.

162. *Die depositionis* altaria nigris vestiuntur, Missæ applicantur pro defuncto ab omnibus Sacerdotibus, et leguntur colore nigro, si per rubricas licet.

163. *Scripta defuncti* colligat in fasciculum Rector, conservandum in adventum Provincialis; igni autem quamprimum tradat litteras Generalis, Assistentium et Provincialis, utpote quæ nec ab ipso nec ab ullo legi possint.

164. Primo quoque tempore conficiendum est *summarium seu compendium vitæ* defuncti, juxta formam præscriptam a R. P. N. die 25 Oct., 1829, et ad Provincialem mittendum. Si defunctus præstanti virtute emicuisset, conficiendum quoque foret *elogium vitæ*, quod a Provinciali recognitum cæteris Provinciæ Domibus communicaretur.

APPENDICES GALLICÆ

Appendix I

FORMULÆ PROCLAMATIONUM

PROCLAMATIONES ANNUÆ

31 *decembris:* Au commencement de cette année, tous les prêtres diront une messe, et ceux qui ne sont pas prêtres réciteront trois chapelets, pour notre Compagnie. De plus, les prêtres diront une autre messe, et ceux qui ne sont pas prêtres réciteront un autre chapelet, pour les bienfaiteurs de la maison vivants et décédés.

11 *martii:* Demain, tous les prêtres diront la messe, et ceux qui ne sont pas prêtres offriront la communion, en mémoire et en action de grâces de la canonisation de saint Ignace et de saint François Xavier, et demanderont à Dieu, pour les enfants de la Compagnie, la grâce de marcher sur les traces de ces illustres Pères.

Feria IV majoris hebdomadæ: Aujourd'hui, après les Ténèbres, et les jours suivants jusqu'au vendredi soir inclusive-

ment, on s'abstiendra de toute récréation, par respect pour la Passion de Notre-Seigneur.

6 *augusti:* Demain, tous les prêtres diront la messe, et ceux qui ne sont pas prêtres offriront la communion et le chapelet, en action de grâces du rétablissement de la Compagnie dans tout l'univers.

26 *septembris:* Demain, tous les prêtres diront la messe, et ceux qui ne sont pas prêtres offriront la communion, le chapelet et leurs autres prières, en action de grâces de l'établissement et de la confirmation de la Compagnie, et pour sa prospérité.

Pridie commemorationis omnium defunctorum Societatis: Demain, tous les prêtres diront la messe, et ceux qui ne sont pas prêtres offriront la communion et le chapelet, pour tous ceux qui sont morts dans la Compagnie.

Pro visitatione R. P. Provincialis: Aujourd'hui (demain), le R. P. Provincial commencera la visite de cette maison. L'ouverture en sera faite à ... heures, par la récitation de l'hymne *Veni Creator*, suivie de l'exhortation spirituelle. Durant cette visite, pour en obtenir l'heureux succès, on récitera tous les jours, après les litanies, la même hymne avec le verset et l'oraison. A l'occasion de la visite des maisons ou collèges de la Compagnie de Jésus par le T. R. P. Général, le R. P. Provincial, ou tout autre à ce délégué, le pape Urbain VIII a accordé à perpépuité une indulgence plénière aux religieux de la même Compagnie qui, la visite terminée, se confesseront,

et communieront, et prieront selon les intentions du Souverain Pontife, et pour la Compagnie et la maison dont ils sont membres. Cette indulgence a été renouvelée par le pape Grégoire XVI, le 2 avril 1832.

In instauratione scholarum: Hodie (cras) hora ... professores omnes fidei professionem facient in sacello domestico.

PROCLAMATIONES SEMESTRES

Quindecim diebus ante renovationem: La rénovation des vœux aura lieu le ..... Les confesseurs extraordinaires sont les PP. NN..... Nos Pères et Frères sont avertis que, d'après le décret 16e de la XIIe Congrégation, tous, même ceux qui ne renouvellent pas, peuvent, à dater de ce jour jusqu'à celui de la rénovation inclusivement, s'adresser pour la confession aux Pères ci-dessus désignés, autant de fois qu'ils le jugeront à propos.

En vertu de la lettre écrite le 16 mai 1884 par le T. R. P. Anderledy, conformément à un vote émis par la XXIIIe Congrégation, les confesseurs des Nôtres, extraordinaires et ordinaires, ont, pendant ce même espace de temps, le pouvoir d'absoudre des cas réservés. Les mêmes pouvoirs sont accordés par cette même lettre, pendant les exercices de la retraite annuelle, aux confesseurs ordinaires ou à celui des Nôtres que le retraitant, avec permission des Supérieurs, choisirait pour confesseur pendant sa retraite.

Pridie recollectionis, post lectionem epistolæ A. R. P. Vincentii Carrafæ: On rappelle aux renouvelants que, conformé-

ment aux dispositions contenues dans cette lettre, ils doivent pendant le *triduum:* 1° s'abstenir de la récréation commune et ne point traiter avec les étrangers, si ce n'est dans les cas de nécessité jugés tels par le Supérieur; 2° cesser toute occupation au dehors, et même toute étude (hors le temps ordinaire des classes); 3° ajouter à l'heure ordinaire une seconde heure de méditation, consacrer une demi-heure à la lecture spirituelle, une autre demi-heure à la considération, et s'appliquer à l'examen de leur intérieur, à la préparation de la revue du semestre et à celle du compte de conscience.

Les points de méditation seront donnés après les litanies du soir, et à ..... heures. La seconde méditation, pendant laquelle le Saint Sacrement sera exposé à la chapelle domestique, commencera à ..... heures. Elle sera suivie de la bénédiction.

Demain dans la journée, chaque renouvelant donnera au Père Ministre la liste de ses fautes contre les règles.

Pridie renovationis votorum, in cœna: On recommande aux saints sacrifices de nos Pères et aux prières de nos Frères ceux qui doivent demain renouveler leurs vœux. La liste des renouvelants et l'ordre dans lequel chacun doit renouveler, sont affichés dans ..... La messe de rénovation sera dite à ..... heures.

PROCLAMATIONES MENSTRUÆ

Ultimo mensis die: Au commencement du mois, tous les prêtres diront deux messes, et ceux qui ne sont pas prêtres

diront deux chapelets, l'un pour notre Compagnie, l'autre pour les fondateurs et bienfaiteurs de la maison vivants et décédés. Dans le courant du mois, les prêtres diront encore deux autres messes, et ceux qui ne sont pas prêtres deux chapelets, pour les Indes et la conversion des idolâtres, et pour les peuples du septentrion et la conversion des hérétiques; et ils recommanderont à Dieu les mêmes intentions dans leurs autres prières.

De plus, chaque semaine, les prêtres diront deux messes, et ceux qui ne sont pas prêtres deux chapelets, l'un pour ceux de notre Compagnie qui sont décédés hors de la Province, l'autre à l'intention de N. T. R. Père Général. Ils recommanderont encore à Dieu cette même intention dans leurs autres prières.

En outre, que ceux qui ne sont pas prêtres disent chaque semaine sept fois le *Pater Noster* et l'*Ave Maria* pour notre Compagnie, et autant de fois pour les fondateurs et les bienfaiteurs.

Que tous les Nôtres aient soin, selon les Constitutions, de prier souvent pour toute l'Église, et surtout pour ceux qui peuvent le plus contribuer à son bien général, comme sont les princes ecclésiastiques et temporels, et les autres qui peuvent servir ou nuire beaucoup au bien des âmes; ainsi que pour nos amis et bienfaiteurs vivants et décédés; pour ceux au salut desquels eux-mêmes et les autres de la Compagnie travaillent en divers lieux, parmi les fidèles et les infidèles; et enfin pour ceux qui sont mal affectionnés envers notre Compagnie.

Au commencement du mois, les permissions générales doivent être renouvelées, autrement elles sont périmées après trois jours.

PROCLAMATIONES HEBDOMADARIÆ

Singulis sabbatis, in prandio:

DOMINICA . . . . . FESTUM . . . . . .

Missam cantabit . . . . . Diaconum aget . . . . . Subdiaconum . . . . . Vesperas cantabit . . . . . Benedictionem SS. Sacramenti dabit hora . . . . . .

HAC HEBDOMADA

Sacrum facient: In honorem sanctorum Angelorum . . . . . Pro nostra Societate . . . . . Pro benefactoribus vivis et defunctis . . . . . Pro benefactoribus insignibus hujus domus . . . . . Coronam recitabit . . . . . Benedictionem SS. Sacramenti dabit . . . . . Litanias dicet . . . . . .

Deinde annuntiantur quæ intra hebdomadam occurrunt vigilia proclamanda, aut festum in quo fieri debeat communio, haberi Bened. SS. Sti., etc.

Item si occurrant Quatuor Tempora.

PROCLAMATIONES VARIÆ

Pro exhortatione domestica: Aujourd'hui, à . . . heures, exhortation domestique au lieu accoutumé.

Pro casibus conscientiæ: Hodie, hora . . . , signo dato, convenient omnes sacerdotes (et theologi) in locum consuetum pro collatione casuum conscientiæ.

Pridie emissionis primorum votorum, in prandio: On recommande aux saints sacrifices de nos Pères et aux prières de nos Frères, celui (ceux) qui doit (doivent) prononcer demain les premiers vœux.

Pridie promotionis ad gradum, in prandio:. On recommande aux saints sacrifices de nos Pères et aux prièses de nos Frères, celui (ceux) qui doit (doivent) prononcer demain les derniers vœux.

Pridie susceptionis ordinum et primitiarum sacerdotum, in cœna: On recommande aux saints sacrifices de nos Pères et aux prières de nos Frères, celui (ceux) qui doit (doivent) demain recevoir les ordres sacrés (célébrer la première messe).

Commendatio pro ægrotantibus: On recommande aux saints sacrifices de nos Pères et aux prières de nos Frères le P. N (le F. N.), très gravement malade.

Pro petendis suffragiis: Fiant solita suffragia. Chaque prêtre dira deux (trois) messes, et ceux qui ne sont pas prêtres réciteront deux (trois) chapelets et appliqueront l'indulgence de deux (trois) communions, pour l'âme du P. N. (F. N.), décédé à ....., dans la paix du Seigneur, le .....

Commendatio pro externis: On recommande aux saints sacrifices de nos Pères et aux prières de nos Frères, l'âme du père (de la mère), du frère (de la sœur) d'un des Nôtres, récemment décédé (décédée).

Pro prædio: Crastina die prandebitur (et cœnabitur) in prædio.

Appendix II

FORMULÆ VARIÆ VOTORUM ET RENUNTIATIONIS BONORUM

N. B. — De modo scribendi varias illas formulas, vide cap. V, A et G, pp. 19 et 20.

Formula Professionis quatuor Votorum

Ego N. Professionem facio, et promitto Omnipotenti Deo, coram ejus Virgine Matre, et universa cœlesti curia, ac omnibus circumstantibus; et tibi Reverendo Patri N., Præposito Generali Societatis Jesu, locum Dei tenenti, et Successoribus tuis (*vel* tibi Reverendo Patri N., vice Præpositi Generalis Societatis Jesu et Successorum ejus, locum Dei tenenti), perpetuam Paupertatem, Castitatem, et Obedientiam; et secundum eam, peculiarem curam circa puerorum eruditionem, juxta formam vivendi in Litteris Apostolicis Societatis Jesu et in ejus Constitutionibus contentam.

Insuper promitto specialem Obedientiam Summo Pontifici circa missiones, prout in eisdem Litteris Apostolicis et Constitutionibus continetur.

Romæ (vel alibi), tali die, mense, et anno, et in tali ecclesia.

Formula Professionis trium Votorum

Eadem est, præter sententiam «Insuper promitto etc.» *quæ omittitur.*

Formula Votorum simplicium quæ Professi emittunt post Professionem

Ego N., Professus Societatis Jesu, promitto Deo Omnipotenti, coram ejus Virgine Matre, et tota curia cœlesti, et coram R. Patre N., Præposito Generali (*vel* coram N. locum Generalis Præpositi tenente), numquam me acturum quacumque ratione vel consensurum ut, quæ ordinata sunt circa Paupertatem in Constitutionibus Societatis, immutentur: nisi quando ex causa justa rerum exigentium videretur Paupertas restringenda magis.

Præterea promitto, numquam me acturum vel prætensurum, ne indirecte quidem, ut in aliquam Prælationem vel dignitatem in Societate eligar, vel promovear.

Promitto præterea, numquam me curaturum, prætensurumve extra Societatem Prælationem aliquam vel dignitatem; nec consensurum in mei electionem, quantum in me fuerit, nisi coactum Obedientia ejus qui mihi præcipere potest sub pœna peccati.

Tum, si quem sciam aliquid prædictorum duorum curare, vel prætendere, promitto illum remque totam me manifestaturum Societati, vel Præposito ejus.

Insuper promitto, si quando acciderit ut hac ratione in Præsidem alicujus Ecclesiæ promovear: pro cura, quam de animæ meæ salute, ac recta muneris mihi impositi administratione gerere debeo, me eo loco ac numero habiturum Præpositum Societatis Generalem, ut numquam consilium audire detrectem, quod vel ipse per se, vel quivis alius de Societate,

quem ad id ipse sibi substituerit, dare mihi dignabitur. Consiliis vero hujusmodi ita me pariturum semper esse promitto, si ea meliora esse quam quæ mihi in mentem venerint, judicabo; omnia intelligendo juxta Societatis Jesu Constitutiones et Declarationes.

In tali loco, tali die, mense, et anno, etc.

Formula Votorum pro Coadjutoribus spiritualibus

Ego N., promitto Omnipotenti Deo, coram ejus Virgine Matre, et tota cœlesti curia; et tibi R. Patri N., Præposito Generali Societatis Jesu, locum Dei tenenti, et Successoribus tuis (*vel* tibi R. Patri N., vice Præpositi Generalis Societatis Jesu et Successorum ejus, locum Dei tenenti), perpetuam Paupertatem, Castitatem, et Obedientiam; et secundum eam, peculiarem curam circa puerorum eruditionem, juxta modum in Litteris Apostolicis et Constitutionibus dictæ Societatis expressum.

Romæ (vel alibi), in tali loco, die, mense, et anno, etc.

Formule des Vœux pour les Coadjuteurs temporels

Moi, N., promets à Dieu tout-puissant, en présence de la Très Sainte Vierge Marie, sa Mère, et de toute la Cour céleste, et à vous, Révérend Père....., qui tenez la place de Dieu et représentez le Très Révérend Père Général de la Compagnie de Jésus et ses Successeurs, perpétuelle Pauvreté,

Chasteté et Obéissance, selon la forme et teneur exprimée dans les Lettres Apostoliques et dans les Constitutions de la dite Compagnie.

A....., le.....de l'année....., dans.....

Observandum tamen in prioribus Formulis Votorum id quod statuit Congregatio XII Generalis. Ut *nimirum* imposterum, quum post obitum Generalis, sub Vicario Generali, Professio sive Vota ad gradum emittentur, hæc Formulæ verba sint: ut nempe, si Vicarius ipse Generalis Professionem, seu Vota excipiat, dicatur: *Et tibi R. Patri N., Vicario Generali Societatis Jesu, locum Dei tenenti, et Successoribus tuis;* si vero aliquis alius excipiat, dicatur: *Et tibi R. P. N., Rectori,* si Rector est, vel *Præposito,* vel *Provinciali,* et sic de aliis, *vice R. Patris Vicarii Generalis Societatis Jesu et Successorum ejus, locum Dei tenenti.*

Formula renuntiationis bonorum temporalium

Ego, N. N., e Societate Jesu, optans et eligens partem habere cum Christo Domino paupere et egeno, sponte et libere renuntio omnibus bonis temporalibus præsentibus et futuris quæ mihi unquam quocumque modo vel jure advenire possent; eaque, si forte obtigerint, superioribus meis prorsus disponenda relinquo.

Datum.....die.....anno.....

Testes: (Subscriptio)

1. .....

2. .....

Pour les Frères Coadjuteurs

Je, N. N., religieux de la Compagnie de Jésus, désirant et choisissant d'avoir mon partage avec Jésus-Christ pauvre et

manquant de tout, renonce volontairement et librement à tous les biens temporels que je possède ou que je pourrais posséder; et s'il venait à m'en échoir de quelque manière ou par quelque droit que ce puisse être, j'en laisse volontiers la disposition entière à mes Supérieurs.

Fait à....., le..... de l'année.....

Témoins: (Signature)

1. .....
2. .. : .....

Appendix III

FORMULÆ ACCUSATIONIS IN TRICLINIO

Formula accusationis generalis pro Patribus et Scholasticis

Reverendi Patres et Fratres carissimi: ex parte sanctæ obedientiæ, veniam peto de omnibus culpis quas in regularum observatione admisi, et de mala ædificatione quam in conversatione præbui; ideoque sancta obedientia mihi pro pœnitentia injunxit ut.....

Pour les Frères Coadjuteurs

Mes révérends Pères et mes très chers Frères: de la part de la sainte obéissance, je demande pardon des fautes que j'ai commises contre l'observation des règles, et de la mauvaise édification que j'ai donnée dans ma conduite; et pour cela, la sainte obéissance m'a donné pour pénitence de .....

Formula accusationis particularis, pro Patribus et Scholasticis

Reverendi Patres et Fratres charissimi: ex parte sanctæ obedientiæ, accuso me de mea culpa, nempe quod..... *aut* de duabus *vel* tribus culpis: prima, quod...; secunda, quod ..., etc.; ideoque sancta obedientia mihi pro pœnitentia injunxit ut.....

Pour les Frères Coadjuteurs

Mes révérends Pères et mes très chers Frères: de la part de la sainte obéissance, je m'accuse de ma faute: d'avoir...., *ou bien*, je m'accuse de deux *ou* de trois fautes: la première, d'avoir...; la seconde, d'avoir..., etc.; et pour cela, la sainte obéissance m'a donné pour pénitence de.....

Appendix IV

LOCA VETERIS TESTAMENTI OMITTENDA IN LECTIONE AD MENSAM

(Ex reg. 9 Præfecti lectorum ad Mensam, ex responso P. Claudii ad Provincialem Germaniæ 3 April., 1587, et ex antiquioribus catalogis Mss.)

Ex Lib. Genesis.

In cap. 9 vers. 21, 22, 23.
Cap. 10.
In cap. 11 a v. 10 ad v. 26 incl.
In cap. 19 a v. 4 ad v. 11 incl.
et a v. 31 incl. ad fin. Cap. 30.
In cap. 31 v. 10 et 12.
Cap. 34.
Cap. 36.
Cap. 38.
In cap. 39 a v. 7 ad 20 incl.

Ex Lib. Exodi.

In cap. 22 v. 16, 17, 18, 19.

Leviticus *omittitur*.

Ex Lib. Numerorum.

Cap. 1.
Cap. 2.
Cap. 3.
Cap. 4.
Cap. 5.
Cap. 25.
Cap. 26.
Cap. 33.

Ex Lib. Deuteronomii.

In cap. 21 v. 10, 11, 12, 13, 14
Cap. 22.
Cap. 23.
In cap. 25 v. 11, 12.

Ex Lib. Josue.

Cap. 12.
Cap. 13.
Cap. 15.
Cap. 16.
In cap. 17 a v. 1 ad 12 incl.
In cap. 18 a v. 11 ad finem
Cap. 19.
In cap. 21 a v. 4 ad 38 incl.

Ex Lib. Judicum.

Cap. 19.

Ex Lib. Ruth.

Cap. 3.

Ex Lib. II Regum.

Cap. 11.
In cap. 13 a v. 1 ad 22 incl.
In cap. 16 a v. 20 ad finem.

Ex Lib. III Regum.

In cap. 1 a 1 ad 4 incl.

Ex Lib. I. Paralipomenon.

Cap. 1.
Cap. 2.

Ex Lib. I. Paralipomenon.

Cap. 3.
Cap. 4.
Cap. 5.
Cap. 6.
Cap. 7.
Cap. 8.
Cap. 9.
In cap. 11 a v. 26 ad finem.
Cap. 24.
Cap. 25.
Cap. 26.
Cap. 27.

Ex Lib. I Esdræ.

Cap. 2.
In cap. 8 a v. 1 ad 20 incl.

Ex Lib. II Esdræ.

In cap. 7 a v. 7 ad 63 incl.
In cap. 10 a v. 1 ad 28 incl.
Cap. 11.
In cap. 12 a v. 1 ad 26 incl.

Liber Esther.— *Hic notet diligenter.*

Incipiat a v. cap. 11, et prosequatur usque ad v. 6 cap. 12 inclusive. Deinde legat cap. 1 et ea quæ sequuntur usque ad finem cap. 4. Statimque addat postremam partem cap. 13 a v. 8 ad 18 incl., cui jungat cap. 14 et 15; post hæc legat cap. 5 et sequentia usque ad cap. 11 excl. Reliqua omittat.

Lib. Psalmorum omittitur.

Ex Lib. Proverbiorum.

In cap. 7 a v. 6 ad 23 incl.

Cantica Canticorum omittuntur.

Ex prophetia Ezechielis.

Cap. 16.
Cap. 28.

Ex prophetia Danielis:

Cap. 13.

Prophetia Osee omittitur.

Appendix V

1. FORMULA ACTUS REPARATIONIS SS. CORDI JESU

(*Pro unaquaque Prima mensis Feria V.*)

AMENDE HONORABLE AU SACRÉ CŒUR DE JÉSUS

